

*Fluys*  
EPINICION CARMEN  
LAVRENTII EISELERI VIENNENSIS,  
IN LAVDEM GE-  
NEROSISS. BARONIS, D. CA-  
ROLI RVEBERI &c. EIVSQVE  
Victoriam de Turcis.



ARGENTORATI  
M. D. LXXXI.

GENEROSO DOMINO D. CAROLO  
RVEBERO, BARONI, ET SVMMO PANNO-  
niae superioris Duci, Domino suo plurimum co-  
lendo Laurentius Eifeler S. D.



VM superiori tempore, Dux ac Baro Inclyte, par-  
tim litteris, partim verò coram, ex quibusdam fi-  
de dignis hominibus, te feliciter cum Turcis nu-  
per signa contulisse, intellexi: non mediocriter  
lætabar, immò gestiebam, te Duce, tuo auspicio,  
tuoq; Consilio, hisce periculosissimis ac extremis quodam mo-  
do temporibus, rem tam fortiter fuisse gestam. Nam quæ re-  
pentina soepius incurfio, qui vastus armorum impetus nobis  
cotidiè istic est excipiendus, sat (proh dolor) scio. Meritò, me-  
ritò inquam Deo Summo rerum parenti magnæ habendæ sunt  
gratiæ, si quando nostra vincit manus. At ne vltius progre-  
diar, lætis his nouis cognitis, licet ad talem Prouinciam obeun-  
dam, si non propter ætatis imbecillitatem, me ineptum iudica-  
rem, fretus tamen tua animi facilitate, tua humanitate, tua de-  
nique summa beneuolentia prælium tuum nuper cum hoste  
cõmissum carmine, crassa pinguiq; vt fertur prouerbio, Miner-  
ua factò, complecti duxi. Non verò vt magnam carminis ele-  
gantiam inde expectares: Sed vti meam quantamcunque ani-  
mi erga te promptitudinem videres, feci. Hisce itaque & me  
meosq; fidei tuæ commendo. Viue ac vale magna spes patriæ.  
Argentorati. Anno Salutis humanæ. CIO. IO LXXXI.



**D**icite Io Musæ mecum, Io dicite ouantes,  
Omnis & Aonidum mecum depromite suaue  
Turba melos: Phæbo claro rectore, canôra  
Pellite plectra lyræ: ferte & per sidera cœli  
Carmine perpetuo, in certamina Martis eunte  
Illustrem heroem lateri qui sæpius aptat

Falcatumq; ensẽm, lætus, Parmamque sinistra:  
Et cristam galeæ victricis & ære rigentis  
Imponit capiti, validam & vi corripit hastam:  
Sæpius intrepidus fulgentia tela veneno  
Torquet in aduersum, Turcis quibus incutit atrum  
Horrorem, vt coëant artus, stupeantque tremore:  
Stentque comæ pauida Stygiæ formidine mortis:  
Sæpius in castris, mecum quis primus in hostem  
Irruet, ô iuuenes fatur, dum diripit ensẽm  
Vagina, scutumq; manu mox arripit, & dum  
Lora remittit equo, subitoq; per auia turbat  
Agmina Turcarum: rigidos soluitq; manûplos.  
Huic caput ipse aufert: connixus & ilia ferro  
Figit fulmineo, ac hostes hinc cominus atque hinc  
Instantes turbat: telo illi pectora rumpit.  
Non aliter quam Dardanius qui vulnere Turnum  
Strauerat Aeneas tumidum, ac Chironis alumnus  
Armipotens animam Troiæ deuicerat ensẽ  
Hectoris: ac Marius Cimbrum Mauortius heros  
Crudelem fudit: Stygias & misit ad vndas.  
Clara Teutonicus sic ille ab origine ducens  
Et genus, atq; domum antiqua de stirpe Baronum,  
Augustos celeri quotiens virtute triumphos  
A Turcis retulit? quotiens hos reppulit oris  
Hunnorum? quotiens vastantes vicerat agros?  
Hungaricas quotiens terras, amnesq; repleuit  
Sanguine Turcarum, sinuantis fluminis instar?  
Hunc cano: vos Musæ, Rueberus vt inclitus heros  
Nostis

Nouistis, patriam fortis defenderit vltor,  
Egregij nuper cum prælia Martis iniret:  
Pierides vestrum meritò est nunc munere fungi,  
Vosque mihi faciles præbere, vt fortia tanti  
Facta viri merito depingere carmine possim.  
Idus cum sexto terras lustraret Iuli  
Luce noua Titan: roseisque aurora capillis  
Roscida luceret, passim fugientibus astris:  
Tum Mahometigenæ duxerunt agmina turbæ  
In nostros campos: Asiæ & desertor opimæ  
Vndiq; vastauit cultos cultoribus agros.  
Iam passim pratis acies incessit apertis  
Diues equum, diues contorum ac cassidis auro  
Ornatæ: hanc alta Turcùm de stirpe coercent  
Electi Proceres: istorum quisque micantem  
Erexit conum galeæ radiantis ab ære:  
Quem texit nitida ac surgens de frontẽ superba  
Crista: micant toti longe fulgentibus armis.  
Quisque suos lustrat, dictisque appellat amicus  
Talibus: ô iuuenes armis animoque feroci  
Præstantes, lectique viri, iam sumite vires  
Ferte viros letho, fauces elidite ferro  
Accelerate pedes, opulentæ accingite prædæ,  
Ducite vagina ferrum, vincite catenis  
Omne quod occurrit, mortali parcite nulli,  
Vi populate casas, raptam defendite prædam.  
Ecce venit dulcis nobis iam gloria rerum:  
Ne trepidate mei, reddet pro talibus ausis  
Præmia Virtutis, populis terrisque superbis  
Rex Regum noster. Rebus tam rite peractis,  
Nullus adest hostis: campis simul omnibus horror.  
Tum vero proceres, nulla arma hostilia, nullum  
Cernitis ô iuuenes, hostem: trepidantia rura  
Ruricolisque boues pecudesque inuadite molles

Dixerunt: subito surgit cum murmure clangor  
Terrificus, clamorq; virum: furor itaq; mentem  
Præcipitant, ardent animi, violentia gliscit,  
Pars manibus stringunt enses & missile ferrum  
Corripiunt vegetis pars curuant viribus arcus  
Ostendunt animos lætos, pugnæque paratos:  
Vngula que insultantis equi decussit amænum  
Campum: pars equitum se se ad diuortia confert  
Notauit: iuuenum cultos pars perfurit agros:  
At veluti incustodito insidiatur ouili  
Ore lupus furtim: pastor si fortè recessit  
Quærens flexibiles hinc inde per auia rimas  
Quo possit rabiem furiosa extinguere cæde  
Agnorum: stimulante fame, stomachumq; replere  
Latrantem ex longo, fauces ac guttura pandens:  
Sic inopes multum fodientes arua colonos  
Vexauit miserè, ac villas deiecit eorum  
Hostis acerbus, atrox, violentus & improbus ira:  
Te referunt nobis Danielis scripta Prophetæ,  
Turce ferox, fidei sanctæ truculente Tyranne  
Diuina hîc paucis verbis oracula pandam  
Siste gradum: nostros ne tam crudeliter ange:  
In somnis ecce ante oculos sub imagine vidit  
Bis duo regna ferarum hominumq; Deiq; Sacerdos  
Diuinus Daniel Vates sanctissimus olim  
Regibus Assyrijs retulit fera prima Monarcham:  
Altera Persarum prædixit regia sceptra:  
Tertia Graiorum populos regesq; potentes:  
Romanos rerum Dominos fera quarta ferebat  
Imperium & terris fore Martia mænia Romæ  
Huius dira feræ facies truculentior illis  
Visa tribus: dentes ferratos ore fouebat  
Fronte simul media bis cornua quinq; gerebat.  
Et duris plodens pedibus concussit arenam

Tellurem:

Tellurem: cornu verò sub fronte latebat  
Exiguum: ducens medijs de cornibus ortum  
Horrendis oculis in quo vultuq; feroci  
Humani capitis formam tulit atque figuram  
Aduersus superos hoc tristia bella mouebat  
Inque Deum sanctum scelerato est ore locutum:  
Tu caput immane es de quo sic diua loquuntur  
Scripta Prophetarum, tu crudelissime Turca,  
Nil ne times? pœnis occurris tristibus vltro?  
Interea Thraces tenuit fiducia rerum  
Audax: attollunt plausus: sonat omne fragore  
Aethereum sydus circum clamore remugit  
Mons frondosus, vbique pauor per membra cucurrit  
Cultorum: squalor violentus concutit ossa  
Multorum: trepidantque feræ formidine vocis:  
Omnes qui celerare fugam: ac se condere siluis  
Tentabant: horum aut nexerunt colla catenis  
Ruperunt rigido aut candentia pectora ferro  
Heu etiam, infantum est exorta miserima cædes  
Estque casus humiles populatus feruidus ignis  
Direptisque focus, Vulcanus ad astra fauillas  
Sustulit, ac latè circum loca sulfure tetro  
Fumârunt: traxêre viros, prædaque potiti,  
Immanes Turcæ, iam iam cessura furori  
Omnia sperarunt: fædarunt corpora ferro:  
Heu heu quis cladem tam tristem tamque nefandem  
Exponat verbis? lachrimis fat funera plangat?  
Hęc medio amplectens natum quem pectoris instar  
Dilexit: subito ceruici imponit amatum  
Et longè mæstus dextræ se paruulus alter  
Implicat: ac sequitur matrem per opaca locorum  
Prospiciens clamat tremulus fuge Turca propinquat:  
A longè clypeos ac arma micantia cerno  
O genetrix, fugias fugias, sequitur ferus hostis:

Dum mater filius querit loca cincta profundis,  
Acceleratque fugam in dumosos vndique sentes,  
Perplexæque viæ voluit tacito pede flexus  
Discurrens, tremuloque gradu fert anxia membra  
Ad Labyrinthas latebras, tacitosque recessus.  
O felix qui tale queas vitare periculum,  
Atque fuga rabiem Turcarum euadere sæuam:  
Illa coma fusa conquestibus implet Olympum,  
Et tendens duplices palmas ad sidera fatur:  
Omnipotens æterne Deus, Deus omnia cernens,  
O Vindex scelerum, ac mundi iustissime iudex,  
Aspice quàm pectus curis stimuletur acutis:  
Ducimur ecce Tui seruili compede vincti,  
Ducimur in Turcum latebrofi carceris antrum:  
Ah miserere Deus, spes ô fidissima nostra.  
Hostis habeto agros: tantum nos eripe vinculis  
Hisce, quibus strictim dextræque pedesque ligantur.  
Diuerso interea miscentur prata tremore,  
Et magis atque magis confurgunt arma Getarum:  
Tristitia plangunt nostri, ac dant pectore luctus  
Ingentes. cunctique humectant corpora fletu:  
Barbare non Europa tibi, sed barbara Syrtis  
Est genetrix, aut si qua super crudelior ora:  
Te tumidum vasti genuerunt equora ponti.  
Barbare tu scelerate feras Pænosque leones  
Exsuperas rabie cæca mentisque furore.  
Quisquis es hîc mecum voluis qui talia mente  
Acterni Christi truculenta morte redempte  
Qui voluis dico: rabiem cur Christus iniquam,  
Permittat durumque sinat regnare Tyrannum?  
Armis qui sanctum cætum, verbique Ministros  
Diuini turbat furiosè & deijcit alta  
Templa Dei passim & ferro populatur & igni  
Polluit & valida Templi sacraria dextra:

Qui

Qui nostras vallo firmas tot deijcit vrbes,  
Mœnia cur toties nostra obsidione tyrannus  
Ipse premat queris? solidis nos turribus æuam  
Eijciat degentes? vi simul occupet vrbes,  
Cur toties Hunnos (gens est hæc optima bello)  
Fundat, coniecto & iaculo sternens pede calcet,  
Quæ sit fortè rogas causa? impietas fera nostra:  
Fraus innexa viris patulum circumuolat orbem  
Quæ stimulis animos multorum vexat acutis  
Mox sequitur magno stipata Superbia flatu,  
Quæ nullos vnquam euentus sortita beatos:  
Hanc sequitur Luxus petulans: huic iuncta Voluptas  
Ocia pigra sequi, sædoque fatiscere luxu,  
Discimus hinc: ô florentes quot perdidit vrbes,  
Protinus hæc auri sequitur furiosa cupido,  
Humani generis regno hæc sceptroque potitur.  
Non ferrum, horribilemque necem, non mille pericla  
Illa fugit demens: angit mentesquè nefanda.  
Labimur hinc grauitè, cunctorum hinc munera languent,  
Filius hinc odio patrem insectatur acerbo,  
Hinc fraterna odijs funestis pectora feruent.  
Omnis amicitia sinceræ hinc tollitur vsus:  
Hunc iuuat brietas, multo & madefacta Lyæo  
Membra fouens, iras subito decurrit ad acres,  
Hinc rixæ surgunt, pugnas committit inermis:  
Mens fugit, hincque statim stolidæ petulantia linguæ  
Vrget in arma viros: hinc verba cadunt sine sensu:  
Non pudor vllus adest, orisque modestia nulla,  
Illi aliud suadet mens recta, aliudque cupido.  
Et tandem meliora videns, sequitur mala multa:  
Tertius est laudans faciem deformis amici  
Subridens verbis fatur, proh quanta venustas  
Est quæso vultus tibi, diuersum fouet ore  
Si sudas sudat, si fles lachrymis simul ora

B

Ipse rigat, rides sua soluit is ora cachinno.  
Vix mihi si linguæ centum, centum simul ora  
Ferre labra essent scelerum comprehendere possem  
Nomina, satq; vsum scelerum perstringere verbis.  
Si nobis cordi non est diuina voluntas  
Si parui facimus Soteris dogmata nostri,  
Si timide cordis fastum contemnimus eius  
Diuinum verbum: nulla & pietate mouemur.  
Si vitij varijs corrupti viuimus annos,  
Iure Deus iustus nobis irascitur armis  
Nosq; trucum affligi miseros finit vsq; Getarum.  
Interea Ducis Austriadis perfertur ad aures  
Fama ruit passim volitat pennata per vrberem  
Calcouiam, multorum hominum calor ossa relinquit.  
Concussi nouitate viri dant pectore luctus  
Ingentes: gelidusq; coit formidine sanguis  
Matronæque genus sædant, lacerantque capillos,  
Iamque diem credunt pueri luxisse supremum  
Talis vbique timor passim est ea mortis imago.  
Tum Dux affatur socios, ac pectora mulcet:  
O socij reuocate animos, deponite luctum,  
Ne dubitate mei surget fortuna labori,  
Iam iam crudelem ne circum fundere Thracem,  
Vos armis mecum pigeat: vique eripe captos  
O miles, nostros fratres, innexa catenis,  
Terga vides quorum, ac seruili compede vineta.  
Vos fueram semper casus complexus in omnes:  
Ite viri mecum, mecumque inuadite Turcam  
Si nostro nobis cedit victoria Marte,  
(Vt spero) ac hostem qui nunc de more ferarum,  
Ingruit, exsuperauerimus (non copia vulgi,  
Vincere amat, medijs sed virtus vincit in armis)  
Laus erit hæc vestra: & vobis pro talibus ausis  
Præmia digna manu larga & præstabo fideli,

Si

Si vero numero belli quoque viribus æqui,  
Non erimus: pulchrè simul occumbemus in armis.  
Nomen erit nostrum toto celeberrimum in orbe,  
Gloria tolletur rerum super æthera cæli  
Nostrarum, semperque decus laudesque manebunt.  
Dixit: & extemplò supplex sic voce precatur.  
O Deus ô hominum & rerum iustissime Rector  
Cunctarum mea vis, mea sola potentia spesque,  
Præsidium & tutum rebus solamen in artis:  
Tu scutum, tu tela mihi, tu certa salutis  
Anchora, tu statio tui placidissima portus  
Cunctarum rerum cum sit tibi summa potestas,  
Rebus in angustijs, nostro dubioque labore  
Ad te confugimus: placidus nostra accipe vota  
Ecce tibi morimur, teneras tibi carpimus auras,  
Tempus adest nostro iam iam succurre labori  
Iamque tuis fer opem, ac nostra incepta secunda,  
Te sine namque Deus, sine te nil possumus vnquam.  
Christiadum diros Thraces da pellere terra,  
Atque manu valida terræ da corpora Thracum:  
Sternere: da miserè captorum soluere vincta.  
Hæc vbi dicta dedit, confestim ad arma paratos  
Pescit equos, lorica humeris galeamque decoro  
Cristatam capiti, ferro & sibi suscitatur iram.  
Non minus interea Marti pugnaeque parârunt  
Ductores sese prompto cum milite cuncti  
Vtque datum signum varijs exercitus armis  
Adfuit: atque ducis subitò confluit ad ædes.  
(Sic etenim Dux magnanimus præceperat illis.)  
Procedit legio, fundunt sese agmina portis  
Carolus in lignis medio Dux agmine Rueber  
Conspicitur, latè, aurata galeaque coruscans,  
Aurataque humeros lorica ornatus & hastam  
Dextra sanguineam quatiens fortissimus heros,

B 2

Ipse rigat, rides sua soluit is ora cachinno.  
Vix mihi si linguæ centum, centum simul ora  
Ferre labra essent scelerum comprehendere possem  
Nomina, satq; vsus scelerum perstringere verbis.  
Si nobis cordi non est diuina voluntas  
Si parui facimus Soteris dogmata nostri,  
Si timide cordis fastum contemnimus eius  
Diuinum verbum: nulla & pietate mouemur:  
Si vitijs varijs corrupti viuimus annos,  
Iure Deus iustus nobis irascitur armis  
Nosq; trucum affligi miseros finit vsq; Getarum.  
Interea Ducis Austriadis perfertur ad aures  
Fama ruit passim volitat pennata per urbem  
Carthouam, multorum hominum calor ossa relinquit.  
Concussi nouitate viri dant pectore luctus  
Ingentes: gelidusq; coit formidine sanguis  
Matronæque genus sædant, lacerantque capillos,  
Iamque diem credunt pueri luxisse supremum  
Talis vbique timor passim est ea mortis imago.  
Tum Dux affatur socios, ac pectora mulcet:  
O socij reuocate animos, deponite luctum,  
Ne dubitate mei surget fortuna labori,  
Iam iam crudelem ne circum fundere Thracem,  
Vos armis mecum pigeat: vique eripe captos  
O miles, nostros fratres, innexa catenis,  
Terga vides quorum, ac seruili compede vincta.  
Vos fueram semper casus complexus in omnes:  
Ite viri mecum, mecumque inuadite Turcam  
Si nostro nobis cedit victoria Marte,  
(Vt spero) achostem qui nunc de more ferarum,  
Ingruit, exsuperauerimus (non copia vulgi,  
Vincere amat, medijs sed virtus vincit in armis)  
Laus erit hæc vestra: & vobis pro talibus ausis  
Præmia digna manu larga & præstabo fideli,

Si

Si vero numero belli quoque viribus æqui,  
Non erimus: pulchrè simul occumbemus in armis.  
Nomen erit nostrum toto celeberrimum in orbe,  
Gloria tolletur rerum super æthera cæli  
Nostrarum, semperque decus laudesque manebunt.  
Dixit: & extemplo supplex sic voce precatur.  
O Deus ô hominum & rerum iustissime Rector  
Cunctarum mea vis, mea sola potentia spesque,  
Præsidium & tutum rebus solamen in artis:  
Tu scutum, tu tela mihi, tu certa salutis  
Anchora, tu statio tuti placidissima portus  
Cunctarum rerum cum sit tibi summa potestas,  
Rebus in angustiis, nostro dubioque labore  
Ad te confugimus: placidus nostra accipe vota  
Ecce tibi morimur, teneras tibi carpimus auras,  
Tempus adest nostro iam iam succurre labori  
Iamque tuis fer opem, ac nostra incepta secunda,  
Te sine namque Deus, sine te nil possumus vnquam.  
Christiadum diros Thraces da pellere terra,  
Atque manu valida terræ da corpora Thracum:  
Sternere: da miserè captorum soluere vincla.  
Hæc vbi dicta dedit, confestim ad arma paratos  
Poscit equos, lorica humeris galeamque decoro  
Cristatam capiti, ferro & sibi suscitatur iram.  
Non minus interea Marti pugnaeque parârunt  
Ductores sese prompto cum milite cuncti  
Vtque datum signum varijs exercitus armis  
Adfuit: atque ducis subito confluit ad ædes.  
(Sic etenim Dux magnanimus præceperat illis.)  
Procedit legio, fundunt sese agmina portis  
Carolus insignis medio Dux agmine Rueber  
Conspicitur, latè, aurata galeaque coruscans,  
Aurataque humeros lorica ornatus & hastam  
Dextra sanguineam quatiens fortissimus heros,

B 2

Ductores Hunni gemmis ostroque decori  
Hunc comitantur equis, induti pelle lupina  
Circa humeros laxos gentis de more vetusto.  
Hos manus ad portas iuuenumq; senumq; secuta est.  
Votis at timidæ matres, ac vulgus inermum  
Os implent lachrymis simul innuptæq; puellæ  
Carolus immoto procedit pectore iamq;  
Ad pugnam properans extemplo ritè phalanges  
Instruxit: dextrumq; iubet se fundere circum  
Cornu equites, læuumq; alas vtrinq; volantes,  
Dilatique tenent fortissima pectora frontem  
Thrax vbi iam longè fumantes puluere campos  
Prospexit, viditque micantia tela virorum:  
Quis globus & strepitus peditum, fremitus quis equorum  
O socij, fatur quæ nubes pulueris agris  
Incubat: atque oculos passim serit improba nostros:  
Mox nostrum agnoscens agmen fulgentiaque arma  
Christiadum arma viri rapite arma hostemq; propinquum  
Insidijs fallamus ait. mox agmine toto  
In siluam tacitè processit fallere doctus.  
Non latuère doli heroem fraudesq; Scytharum  
Rueberum ingenio pariter, dextraq; potentem:  
Continuoque acres peditum fortesque manûplos  
In latebras primo siluarum immisit & acres  
Continuit turmas equitum. Tum Turca latebras  
Cernens detectas, nostrosque inuadere tandem  
Eruit è syluis aciem Martemque poposcit.  
Tum vero signum pugnae Clarissimus heros  
Proposuit noster: tum clangor vtrinque tubarum  
Editur: horrifono mugit nemus omne fragore.  
Pugnatur: cælumque boat clamore Virorum.  
Quisque ferit ferro a hostem pro viribus vrget:  
Difficile est dictu, dextra quos misit ad orcum  
Carolus insignis ferro, quos strauit arena,

Cornipede

Cornipede ipse volans semper præcesserat agmen  
Cædendo: passim tolluntur in æthera nubes  
Pulueræ: passim sternuntur corpora ferro  
Turbatis cuneis, celeri pede terga dedere  
Tum subitò Thraces, & vexilla minantia terræ  
Iecerunt, parmas clypeosque graues: fuga cunctos  
Inuasit: tremuitq; pedum cursu excita tellus.  
Ipse citus noster fugientibus ingruit hastam  
Miles: & ense caput citus abstulit: atque cruore  
Perfusedum penitus truncum tellure reliquit  
Tum vinciti fuerant vinctis proceresq; Ducesque  
Heroum magno ac alto qui sanguine nati.  
Interea cessit nostris victoria Martis.  
Læticia magna captorum vincta soluta:  
Taurorum pecudum quoque cætera præda reducta est:  
Læta statim penitus pertentant gaudia mentem.  
Læticiam voluunt animo, noua gaudia mentis  
Omnibus assurgunt: emittunt pectore luctus,  
Non fecus, ac si quis media de morte fuisset  
Exemptus: raptus medijs vel in ignibus ardens:  
Talis vbique fuit luctus, pavor & timor ante.  
Ergo tibi Ruebere Baro clarissime laudes  
Eximias debent Germani, Pannonæ omnes:  
Tu pater afflictæ patriæ, Duce & auspice Christo,  
Perge ô æternum nostris à finibus hostem,  
Longius arcere à patria fortissime vindex,  
Perge tuis faustis nunc nunc insistere fatis  
O Generose Baro præclaro sanguine cretus:  
Ecce decus nomenque tuum laudesque perennes  
Posteritas noscet, surgent & ad æthera cæli.  
Ipse vides quanta Magnus cum laude canatur:  
Quis non concelebrat Pompei fortia facta?  
Ipse vides Hæctor quanto celebretur in armis  
Carmine: lethifero Troiæ quod vulnere læsus

B 3



Fortiter occubuit. qui sæpius agmina Graiúm  
Fuderat, & clava deiecit corpora letho,  
Aspice Marcellum magno turbante tumultu  
Qui rem Romanam stiterat, Gallumque rebellem  
Strauerat, arma Iouis suspendens tertia templo  
Laus eius, nomen quam sit memorabile nosti  
Hanc tibi concedat laudem ter magnus Apollo  
Aut potius Christus Deus optimus inclite Ductor.  
Hos cape Virtutis socios ne desere cæpta,  
Nec dubita lethum vera pro laude pacisci,  
O Heros præstans prisca & virtutis imago.

F I N I S.



RÖPL.

300